Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 955
Quelle:
Copyright:

Non habuerunt Editores *Colon.* 1688. T. V. f. hunc *Elenchum*, ad cujus calcem: *Expliciunt Capituli Feliciter*, et mox: *Incipit Expoſitio In Luca. Liber Primus. Deo Gratias. Amen.* Initium: *Beatus aeuuangeliſta lucas de omnibus quae cepit ihesus facere et docere* &c. Ita et reliqui Libri. Ad initium tamen Sexti *fol.* 168. p. 2. additur minio: *XC Bō Non Conaci.* Suſpicor, innuere Librarium, haec ſe non *Conaci* (Coignac in Tractu Engoliſmenſi Gall.) ſcripſiſſe, ſed quis locus eſſe poſſit *XC Bō*, non divino. Finis totius Operis: *ſed in laude dei et benedictione concluſit. Amen.* Additur: *Explicit Expoſitio In Luca Liber VI. Deo Gratias Amen Fiat Fiat.* Membranae hinc inde valde detritae ſunt. Textus quidem correctione infra Edita eſt; inſpici tamen mereretur ab iis, qui *Bedae* Opera ſub prelum revocare vellent. Ita in Prooemio pro: *novit penitus eſſe deteſtanda*, quod habent Edita, reponendum e Codice: *noverit*, et paullo inferius, ubi legunt: *quam unum quatuor*, addendum: *librorum.*

CCCCXIII.

R. 13 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 164. f. per duas columnas eleganter exaratus, coloribus amoenus et *Carolo* VI. Aug. oblatus ab *Apoſt. Zeno* ejus Poeta et Hiſtorico a. 1723. complectitur Ven. *Bedae* Presb. Expoſitionem *Evangelii S. Lucae. Incipit epiſtola acce epiſcopi ad Bedam Presbiterum. De poſtulanda expoſitione in Lucam.* De celebri hoc *Acca* e 10. Epiſcopis *Haguſtaldienſibus*, ſive *Hexhamenſibus* tertio, qui a. 740. obiit, adi *Tanneri Bibl. Brit. Hibern.* Init Epiſtola: *Reuerentiſſimo in chriſto fratri* &c. *Sepe quidem tue ſancte fraternitati et abſens ſcribendo* &c. Sequitur illam: *Epiſtola uenerabilis Bede presbiteri ad accam epiſcopum: pro conceſſione expoſicionis in lucam*, cujus initium: *Domino beatiſſimo* &c. *Mira uere eſt et uere mira* (uera mire?) *doctoris egregii ſententia* &c. Hanc excipit Elenchus *Capitum* Operis in VI. *Libros* tributi, quem non videntur habuiſſe Editores *Bedae Colonienſes*, utut eodem T. V. Expoſitioni in *Johannem* ſimile quid praemiſerint. Cenſent illi *Capita* in *Lucam* XCVII. *Codex* vero noſter XCV. quorum Prooemium ita orditur: *Beatus Euangeliſta Lucas de omnibus que cepit ihesus facere et docere* &c. ut T. *cit. col.* 217. Integrum Opus hac miniata, viridique alternis clauſula terminatur: *Explicit Liber Sextus Expoſicionis Uenerabilis Bede Presbiteri In Lucam Ad Accam Epiſcopum.* Quod ſi olim de *Beda* curatius, quam quidem *Coloniae* factum eſt, edendo ageretur, non negligendum foret Exemplar iſtud, ut vel e collatione *Epiſtolae Accae* liquet, quam addo:

Codex: